



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab Anno 1752. usque ad  
Annum 1757 - Cum Appendice ad Annos 1744. 1745. 1748

**Luxemburgi, 1758**

LXXIV. Confirmatio Concordiæ inter Archiepiscopum Moguntinum, S. R. I.  
Electorem, & Episcopum atque Abbatem Fulensem initæ, super jure  
Metropolitico Ecclesiæ Moguntinæ in Episcopatum, atque ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74789](#)

## III.

Dilectis Filiis Proceribus Maronitis.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii, Salutem, & Apostolicam  
Benedictionem.

**Q**UAM praeclarum de vestra omnisque in-  
culta Maronitarum Nationis Catholica  
sinceraque Fide, & constanti Apostolica huic  
Sancta Sedi adhaesione opinionem Prædecessores  
nostræ Romani Pontifices, Nosque ipsi semper  
habuimus, magis magisque confirmaverunt  
humanissimæ vestra literæ, quas una insulm  
cum literis Venerabilium Fratrum tum Tobia  
Petri Archiepiscopi Cypræ in Patriarcham Autiochenum vestrum electi, tum cæterorum Nationis  
vestra Antislitum conjunctas ad Nos  
attulit Venerabilis item Frater Arsenius Ar-  
chiepiscopus Heliopolis. Per ipas sane literas  
vestras explicare studiūt, & filiale vestram erga Nos, & Apostolicam hanc Sanctam  
Sedem observantiam, reverentiamque, & Ele-  
ctionem de eodem Tobia Petro in Patriarcham  
unanimi memoratorum Antislitum consensu,  
Vobisque plaudentibus factam. Nos autem Vobis  
omniumque studiis benigne annuentes,  
nihil omisimus, quod ad hujusmodi negotium  
Apostolica autoritate nostra peragendum,  
conficiendumque requirebatur. Quamobrem hoc  
unum superest, ut Vobis, Dilecti Filii, quos  
paterna Pontificiaque caritate complectimur, ab  
Omnipotenti Deo bonorum largitore uberrimam  
cælestium charismatum copiam appre-  
mire; atque vestram pietatem, religionemque  
meritis laudibus celebremus. Interim, Dilecti  
Filii, Vobis Apostolicam Benedictionem, pe-  
renne nostræ erga Vos præcipue benevolentia,  
dilectionisque testimonium, per amantem imper-  
timur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Ma-  
jorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Aprilis  
MDCCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Decimo-  
septimo.

Cajetanus Amatus.

## LXXIV.

Confirmatio Concordia inter Archiepiscopum  
Moguntinum, S. R. I. Electorem, & Epis-  
copum, atque Abbatem Fulensem initia,  
super jure Metropolitico Ecclesiæ Mogunti-  
nae in Episcopatum, atque Ecclesiam Ful-  
ensem; nec non super aliis utriusque Ec-  
clesiae controversias.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

Pontificis  
studium pro-  
tuenda que-  
re, & tranqui-  
litate inter  
Personas Pa-  
storali digni-  
tate iniqui-  
tas.

**A**D sacram Petri Sedem in plenitudine po-  
testatis, divina dispositione evecti, ad  
ea potissimum, quæ pro personarum quarum-  
libet, præsertim Pastorali dignitate preditatu-  
rum, queto, & tranquilitate observari de-  
bere dignoscuntur, libenter intendimus, ac  
iis, quæ vicissim providè per concordia mi-  
nisterium ordinata fuisse comperimus, ut illa  
firma persistant, Apostolici munimini robur  
adjicimus, prout confidimus in Domino fa-  
lubriter expedire. Exhibita siquidem Nobis nuper  
pro parte Venerabilium Fratrum nostrorum  
Joannis Friderici Caroli moderni Archiepiscopi  
Moguntin., ac S. R. I. Electoris, necnon

Adalberti moderni Episcopi, & Abbatis Ful-  
den., ac ejusdem S. R. I. Principis, petitio con-  
tinebat, quod cum inter diçum Joannem Frideri-  
cum Carolum Archiepiscopum, & Electorem,  
ac Decanum, & Capitulum Metropolitanæ Ec-  
clesiæ Moguntin. ex una, ac prædictum Adal-  
bertum Episcopum, & Abbatem, ac Decanum,  
& Capitulum Ecclesiæ Episcopalis, & Abbatialis  
Fulden, ex altera partibus, ad removendas om-  
nes controversias, & ad omnium dissensionum  
semina penitus tollenda quedam concordia inita  
fuerit, cuius tenor est qui sequitur.

§. 2. Nos Joannes Fridericus Carolus Dei  
gratiâ S. Sedis Moguntinæ Archiepiscopus, Sacri  
Romani Imperii per Germaniam Archi-Can-  
cellarius, & Princeps Elector: Et Nos Adalber-  
tus electus Episcopus, & Abbas Fuldensis, Sacri  
Romani Imperii Princeps, Augustissima Roma-  
norum Imperatricis Archi-Cancellarius per Ger-  
maniam, & Galliam, Primas &c. notum facimus,  
& profitemur &c. Dùdum inter Archiepiscopatu-  
m, & Electoratum Moguntinum, ac principa-  
lem Abbatiam Fulensem, optata per Divinam  
gratiam concordia, novilque frequenter ab Ar-  
chiepiscopis Elecoribus eidem Abbatæ impensis  
favoribus aucta vigui amicitia, ita quidem, ut  
cum circa annum 1532. cogitatum esset de eri-  
gendo Episcopatu Fuldensi, Archiepiscopus Ele-  
ctor Moguntinus tum temporis existens, ejusque  
Capitulum Metropolitanum erectioni hujusmodi,  
& Fuldensi tum Abbatæ sibi exposito desiderio  
faciles se præbuerit, & dum res ad exitum non  
perdaceretur, ut Abbates Fulenses Jura Mo-  
guntina porrò libenter agnoverint, Archiepisco-  
pi verò Moguntini eidem Abbatibus seculo præ-  
cedente Ecclesiasticam in Fuldensi Ditione Juridicione  
reliquerint, eaque super re per Com-  
missarios Moguntinos solemnam anno 1662.  
concordiam inter Moguntinam Metropolitanam,  
Cathedralem Heribopolensem, & Abbatialem Ful-  
densem Ecclesias conciliarint, tenoris, qui se-  
quuntur:

§. 3. » Nos Dei gratiâ Joannes Philippus  
» Sedis Moguntinæ Archiepiscopus, Sacri Ro-  
» mani Imperii per Germaniam Archicancella-  
» ri, & Princeps Elector, quæ Episcopus  
» Herbipolensis, & Francia Orientalis Dux  
» &c.: Et Nos Joachimus Abbas Fuldensis Sa-  
» cri Romani Imperii Princeps, Romanorum  
» Imperatricis Archicancellarius per Germa-  
» niæ, & Galliæ, Primas &c. notum facimus,  
» & pro Nobis, nostrisque Ecclesiæ Herbipo-  
» lensi, ac Fuldensi, earumque Successoribus  
» tenore præsentium cunctis palam profitemur:  
» posteaquam inde a pluribus annis inter hono-  
» rables Prædecessores nostros, Nos &c. co-  
» creditas Nobis Ecclesiæ multifariae differen-  
» tia, & contentiones, & in specie quidem  
» ob prætensam a Nobis Episcopo Herbipolensi  
» in diversa loca, & Parochias dicta Fuldensis  
» Ecclesiæ potestatem Ecclesiasticam, & Juris-  
» dictionem Episcopalem, exorte sunt, ex  
» quo schismata, & inordinaciones in rebus tam  
» Ecclesiasticis, quam secularibus, in notabile  
» utriusque Ecclesiæ, & boni publici detrimen-  
» tum, non vanè suspicari potuimus, quod  
» tandem Nos Episcopus Herbipolensis, & Nos  
» Abbas Fuldensis, suau, & fideli interposi-  
» tione, atquehortatu Eminentissimi Princi-  
» pis, ac Domini Joannis Philippi S. Sedis  
» Moguntinæ Archiepiscopi, Sacri Romani  
» Imperii per Germaniam Archicancellarii, &  
» Electoris, Episcopi Herbipolensis, & Francia  
» Orientalis Dux, quæ Archiepiscopi, & E-  
» lectoris Moguntini, Domini, & Amici no-  
» stri in primis dilecti, maximè veneran-  
» di, ex studio vicinitatis, & affectu, prævi-  
» inter nosdos ad id demandatos utraque ex  
» parte, Consiliarios, & respectivè Legatos,

Vetus transla-  
tio stipula-  
ta an. 1662. in-  
te: Archiepisco-  
pum Mo-  
guntinum,  
eundemque  
etiam Episco-  
pum Herbipo-  
lensem, at-  
que Abbatem  
Monasterii  
Fuldense, in-  
tegre hic re-  
pertur.

» tracta-

1757.

" tractatione, prae primis autem cum presci-  
" tu, & consensu Reverendorum nostrorum Epi-  
" scopi Herbipolensis dilectorum devotorum  
" Praepositi, Decani, & Capituli nostra Ec-  
" clesiae Cathedralis Herbipolensis, ut etiam  
" Reverendorum nobilium nostrorum Abbatis  
" Fuldenfis dilectorum ac devotorum Decani,  
" & Capituli Ecclesiae Fuldenfis, ad incre-  
" mentum, & conservationem bone vicinitatis,  
" & mutuae confessionis, necnon in ma-  
" tura perdifficilium, nostrosque ante oculos  
" obverfantium temporum, ac circumstantiarum  
" contemplatione, atque hinc perspecta summa  
" necessitate arctioris inter Nos conju-  
" nctionis, & in nostrae praesertim Abbatis Ful-  
" denfis Ecclesiae bonum tendentis concordie  
" inuidae, sequenti ratione per amicam tran-  
" sactionem inter Nos conventum fuerit, pro-  
" ut etiam hisce transfigimus modo, quo se-  
" quitur.

Plenissima  
jurisdictio  
Abbatis Fulde-  
nisi tribui-  
tur in Cle-  
rum, & Po-  
palium sibi  
subjectum.

§. 4. " Et primò quidem, cum ratione  
" Episcopalis, & Ecclesiasticae Jurisdictionis,  
" quam Nobis Episcopo Herbipolensi, & Ve-  
" nerabilibus nostris Pradecessoribus in diversa  
" Fuldenfis sua dilectionis Ecclesiae Loca, Cœ-  
" nobia, & Parochias competere haec tenus pre-  
" tendimus) differentiae essent obortæ, dum di-  
" lectione sua Fuldenfis supra dictam Jurisdictionem  
" Episcopalem a tempore immemoriali exerce-  
" tam, & ad se traductam fuisse constantissi-  
" mè tueri voluit; ita convenit inter Nos, &  
" promissimus Nos Episcopus Herbipolensi, qua-  
" tenus Dilectionem suam Fuldenfis, ejusque  
" Successores, & Ecclesiam, ratione Jurisdictionis  
" Ecclesiasticae hucusque prætentæ, nullate-  
" mus post hac impugnare velimus, sed eam-  
" dem pro nunc, & perpetuis temporibus in-  
" tegraliter relinquimus libere, atque ultrone  
" penes Dilectionem suam, ejusdem Successo-  
" res, & Ecclesiam Fuldenfis; ut Ecclesia Ful-  
" denfis sit, maneaque eternus nullius Dioce-  
" sis, habeatque ejusdem Antistes in Clerum  
" & Populum Jurisdictionem Ordinariam pri-  
" vativè, qualis Praelatis Episcopo inferioribus,  
" & de facto Rno Fuldenfis sive de jure, sive  
" ex consuetudine, competere; hancque Juris-  
" dictionem exerceat, ut haec tenus exercita  
" est, tam in Civilibus, & Matrimonialibus  
" Laicorum, quam in Beneficialibus, & Crimi-  
" nalibus Clericorum, aliquis Ecclesiasticus  
" Caufis quibuscumque, sive per se, sive per  
" Vicarium, (aut Commissarium suum) quos  
" constitutere, & destituere, sicut & Clerum  
" in omnibus tam Curatis, quam non Curatis  
" Beneficiis instituere, & destituere, visitare,  
" Synodus convocare, & alia omnia face-  
" re, quæ ab hac Jurisdictione quasi Episcopa-  
" li dependent, ipsi semper integrum sit, fine  
" ullo appellandi Jure ad Nos Episcopum Her-  
" bipolensem, salvo tamen Jure Metropolita-  
" no, & remedio appellationi ad Metropoli-  
" tanum, juxta ordinem ab Ecclesia Catholica,  
" cunctisque Dioecesis hujus Provincie Mo-  
" guntinae laudabiliter receptum, & in viridi  
" obvervantia constitutum: salvâ item libertate  
" pro iis, quæ sunt Ordinis, quæque ex defec-  
" gradus, Rno Fuldenfis competere nequeunt,  
" non tantum Regulares, sed & Clericos sa-  
" culares sui Principatus intendent, sive ad Me-  
" tropolitanum, sive ad Nos Episcopum Herbi-  
" polensem, pro Ordinibus sacris suscipiendis:  
" salvâ item libertate quemcumque accersendi Ga-  
" tholicum Antistitem pro Sacramento Confirma-  
" tionis, consecrandis Ecclesiis, Altaribus &c.,  
" idque sine nostra, nosfrorumque Successo-  
" rum, & Ecclesia interpellatione, contra-  
" dictione, & impedimento, quomodolibet hæc  
" nuncupari, aut excogitari queant. Nos ta-

" men Abbas, & Princeps Fuldenfis hisce  
" per expressum declaramus, quod Jurisdiction  
" quasi Episcopalis a Dilectionibus suis Domino  
" Archiepiscopo, & Electore Moguntino, uti  
" etiam a Domino Episcopo Herbipolensi, ut  
" prefertur, Nobis relata, non diutius, quæ  
" dum Ecclesia & Principatus noster Fuldenfis,  
" juxta fundationem, in Catholicorum mani-  
" bus perfisterit, vigere, & in suo robore per-  
" manere debeat. Ubi verò per vim majorem,  
" vel aliam quamcumque viam (quod, ut spé-  
" ramus, avertet Dei clementia) in alienas, sive  
" Catholicorum, sive Acatolicorum manus de-  
" venerit, volumus, ac statuimus, ut tali casu  
" hac transactio neque Archiepiscopo Mogunti-  
" no, neque Episcopo Herbipolensi ulla tenus  
" cedat in praeciduum, nec illi hac teneantur,  
" sed Ius suum Episcopale plenarie tunc manu-  
" tenendi, atque exercendi liberam habeat po-  
" testatem. Quemadmodum etiam Nos Joannes  
" Philippus qua Archiepiscopus Moguntinus, &  
" Nos Joannes Philippus qua Episcopus Herbi-  
" polensis, hoc insperato casu, Nobis Jura no-  
" stra, & Potestatem per expressum reservamus,  
" hancque cessionem eō usque duntaxat exclusive  
" valitaram hisce declaramus.

§. 5. " E contrario, ac pro secundo;  
" quoniam præsentis concordia finis unicus,  
" scopus, ac propositum est, ut nostrâ utrius-  
" que Archiepiscopi Moguntini, & Episcopi Her-  
" bipolensis amica, & vicinali cooperatione,  
" atque affinitate, nostra Abbatis Fuldenfis Ec-  
" clesia eo melius adversus hostiles, ac violen-  
" tes impetus defendatur & protegatur: Hinc  
" nostri Abbatis Fuldenfis Successores pro tem-  
" pore existentes, vigore præsentium obligen-  
" tur, ut quamprimum aliquis a nobili Capitulo  
" per canonicas Electionem in locum Abbatis  
" & Principis fuerit sufficit, id ipsum semper  
" Nobis Electori Moguntino, ut Mediatori, &  
" absque eo Provinciae Moguntinae Metropolita-  
" no, tum etiam Nobis Episcopo Herbipolensi,  
" per literas notificare, atque una confirmationem  
" supradictæ cessionis, necnon actualiem, quate-  
" nus necessitas exigerit, apud ipso manutenen-  
" ti amicè teneantur postulare.

Nuper elec-  
tis Abbati-  
bus injungi-  
tur, ut de sua  
electione  
certiores fa-  
ciant Archiepiscopum  
Moguntinum,  
& Episcopum  
Herbipolen-  
sem.

§. 6. " Tertiò: quo facto etiam Nos Ar-  
" chiepiscopus ac Princeps Elector Moguntinus,  
" & Nos Episcopus Herbipolensis, pro Nobis,  
" Successoribus, & Ecclesiis nostris spondemus  
" per præsentes, ac pollicemur, quod ad con-  
" firmationem a Dilectione sua Fuldenfis prædicto  
" modo petitan superioritatis Ecclesiasticae, &  
" Jurisdictionis quasi Episcopalis, vigore hu-  
" jus Concordiae eidem reliete, & quidem  
" absque ullis impensis, vel taxæ cujusdam  
" pensione impertendam, necnon ad præ-  
" standam re ipsâ manuentiam, casu evenien-  
" te, pariter obstricti & obligati esse debeamus  
" ac velimus.

Hic verò, ju-  
risdictio, &  
superioritatem Eccl-  
esiasticam ei-  
dem Abbati,  
in vim hujus  
concordie,  
relieti, con-  
firmare tene-  
antur.

§. 7. " Quarto: ad evitandam verò in ejus-  
" modi petitione respectivè confirmationis, &  
" responsoria declaratione, omnem ambiguitu-  
" tem, & diffensiones, conventum inter Nos  
" omnes, ac constitutum est, quatenus illæ se-  
" quentis tenoris esse, & constanter manere  
" debeat; ex parte videlicet nostra Abbatis  
" Fuldenfis ad utramque suam Dilectionem Mo-  
" guntinam, & Herbipolensem (mutatis mutan-  
" dis) ut sequitur - Prævia parata Officiorum  
" nostrorum oblatione. Dilectionem Vestram pro-  
" pensa vicinitatis confidencia celare non debemus,  
" qualiter Nos post decepsum (N.) Venerabilis  
" Praecessor nobis p. m. concordibus suffragiis,  
" & electione nobilis nostri Capitali hujatis, in  
" Abbatem, & Principem Fuldenfis non ita pri-

Tenor Epi-  
stolæ, qua  
Abbas suam  
electionem  
Archiepisco-  
po Mogunti-  
no, & Epi-  
scopo Herbi-  
polensi nu-  
ciat.

Salvo tamen  
Metropoliti-  
co jure Ec-  
clesia Mogu-  
tinæ, aliquis  
nonnullis cō-  
ditionibus.

1757.

„dem, & die quidem (N.) electi fuerimus, si-  
„musque in actuali, & tranquilla nostra Abba-  
„tie, & Principatus Fuldenis possessione consti-  
„tuti. Cum itaque probè recordemur, qualam  
„concordiam Venerabilis Predecessor noster Ab-  
„bas (N.) anno (N.) die (N.) cum Dilectionis  
„Vestra Domino Predecessore tanquam Mediatore,  
„uti etiam cum sua Dilectione Heribolensi cele-  
„braverit, conventioneque inter ipsos preter alia  
„fuerit, ut quisvis Princeps, & Abbas Fulden-  
„sis, mox ab electione, confirmationem Juris-  
„dictionis Ecclesiasticae ea in concordia nostra Ec-  
„clesia reliete, cum etiam manutenciam, neces-  
„itate flagitante, per literas petere, & vicissim  
„Dilectionis Vestra eam Nobis pariter per literas re-  
„sponsorias sine recusatione impetrari, & respecti-  
„ve affectuationem praestare teneatur, ac velit;  
„Eapropter Dilectionem Vestram officiose requiri-  
„mus, ut ad has nostras memorata supra Concor-  
„dia conformes posterioris literas, eatenus se erga  
„Nos declarare dignetur, quatenus in praetexta  
„Concordia continetur, & pacienter congruit  
„intentioni. Qui ad officia Dilectionis vestra  
„omni tempore prompti permanemus.

Exemplar  
responsoris  
ab his Ab-  
batis redden-  
de.

§. 8. „Quinto: Ad responsorias vero tam  
„a Nobis Archiepiscopo, & Electore Mogun-  
„tino, quam a Nobis Episcopo Heribolensi,  
„& Franciae Orientalis Duce, ad Dilectionem  
„suum Fuldensem dandas, quod attinet, erant  
„haec (mutatis mutandis) vicissim tenoris sequen-  
„tia: — *Prævia &c. Redditæ Nobis fuerunt Di-  
„lectionis Vestra per humana litera de die (N.) ex  
„quibus perlegimus, eamdem unanimi Nobilis Ca-  
„pituli sui consensu in Abbatem, & Principe  
„Fuldensem suisse electam, esseque in actuali, &  
„pacifica possessione constitutam: & que præ-  
„terea in vim Concordia anno (N.) erecta Ipsa  
„Nobis revocare in memoriam voluit. Quem-  
„admodum igitur Dilectioni Vestra ad obtentam  
„istam Principalem Dignitatem, & Fuldenis Ec-  
„clesia Administrationem, omnem a Deo benedic-  
„tionem, gratiam, opemque appræcamur; ita  
„quoque ex praescripto memorata Concordia non so-  
„lum reliquit tum temporis Dilectionis Vestra  
„Predecessori p.m., ejusque Successoribus, & Ec-  
„clesia, Jurisdictionem Ecclesiasticam, in pre-  
„sens plenaria denuo confirmamus, & ratificamus,  
„verum etiam promptios Nos parasitique declarav-  
„mus, ubi Dilectionem Vestram, ejusdem Successo-  
„res, & Ecclesiam, præter omnem spem & op-  
„ionem, a quocumque demum, spectatim vero a  
„Catholicis, vel Acatolicis vicinis, aut exteris,  
„in memorata Jurisdictione Ecclesiastica, aliisque  
„Juribus suis infestari, aut turbari contingere,  
„Nos eidem omnem vicinalem assentiam, ope-  
„ram, ac manutenciam (prout eo casu a Dilec-  
„tione Vestra fuerimus requisiti, & reliqua rule-  
„rint circumstantia) nullo non tempore præstuturos.  
„Dum Nos Dilectioni Vestra grata &c.*

Integra  
utrinque sp. detur Trans-  
factionis ob-  
servantis.

§. 9. „Secundum haec omnia, afferendo  
„promittimus ac spondemus Nos Joannes Phi-  
„lippus quâ Archiepiscopus Moguntinus, &  
„Mediator, & Nos quoque Joannes Philippus  
„quâ Episcopus Heribolensis, Franciae Ori-  
„entalis Dux, ac Nos Joachimus Abbas Ful-  
„densis &c. respectivè Elector, & Princes, pro  
„Nobis, nostris in Metropolitanâ Mogunti-  
„na, Heribolensi, ac Fuldenis Ecclesiis Suc-  
„cessoribus, interpositis nostris Electorali, &  
„Principalibus Dignitatibus, fide & fidelitate,  
„quod contenta in hac Concordia puncta om-  
„nia & singula firmiter inviolata servare, ne-  
„que iis unquam contrarie, vel ut contrae-  
„tur, permittere velimus, sive per Nos, sive  
„per nostros, quacunque ratione, aut via,  
„ac quocunque id demum fiat nomine, aut  
„excogitare in contrarium mens humana valeat;

„prout etiam præter nunc adducta hujus tran-  
„factionis puncta, omnes & singulos olim for-  
„tasse habitos tractatus, & conventiones præ-  
„sentium tenore penitus aboleamus, iisque per  
„expressum perpetuo renuntiantes universum ab-  
„rogamus, & cassamus. In cuius rei fidem,  
„ac perenne robur Nos saepè memoratus Joani-  
„nes Philippus quâ Archiepiscopus Moguntinus,  
„& Mediator &c. tum etiam Nos Joannes Phi-  
„lippus quâ Episcopus Heribolensis, & Fran-  
„ciae Orientalis Dux &c. & Nos Joachimus Ab-  
„bas Fuldenensis &c. hanc Concordiam manu pro-  
„pria subscriptimus.

„Et Nos Joannes ab Hoppenheim con-  
„dictus de Saal, Decanus, & universum Ca-  
„pitulum Ecclesiæ Metropolitane Moguntinæ,  
„necon Non Joannes Hartmannus de Rosén-  
„bach, Decanus, & Capitulum universum  
„Ecclesiæ Cathedralis Heribolensis, & Nos  
„Matthias Benedictus de Rindorf Decanus,  
„& Capitulum universum Ecclesiæ Fuldenensis;  
„profitemur, & notum facimus per presentes  
„literas, pro Nobis, & Successoribus nostris,  
„hanc Concordiam Nobis scientibus, & consen-  
„tientibus initam, atque erectam fuisse, quem-  
„admodum in eam vigore præsentium consen-  
„timus fideliter, fraude ac dolo remotis. In  
„cuius rei testimoniorum Eminentissimi, & Reve-  
„rendissimorum Dominorum nostrorum Electo-  
„ris, & Principum sigillis, etiam confusa Ca-  
„pitularum nostrorum sigilla his Literis apponui-  
„mus. Actum die 23. Martii Anno 1652.

„J. Philippus A. M. E. H. manu propria.  
„Joachimus Abbas manu propria.

(L.S.) (L.S.) (L.S.) (L.S.) (L.S.)  
„Archiep. Mo. Abbatis Cap. Metrop. Cap. Cath. Cap.  
„& Ep. Herib. Fulden. Mo. Herib. Fuld.

Sequitur ro-  
tor recentis  
Concordia.

§. 10. Que quidem Concordia ab Archie-  
„picopoco Moguntino, quâ tali, necon simul  
„quâ Episcopo Heribolensi, ac Abbatie Fuldeni  
„subscripta, triunque Ecclesiarum Moguntinæ,  
„Heribolensis, & Fuldenis Capitulari consen-  
„tis & sigillis murita, plures per annos inviolata felici-  
„ter substituit; sed cum Apostolicâ careret con-  
„firmatione, & Heribolensi Ecclesiæ Cathedra-  
„li minus utilis videretur, eaque propter impugna-  
„ta pro parte Episcopi Heribolensis, per judi-  
„cata Sacrae Rotæ rescinderetur, acrior Heribol-  
„ensem inter & Fuldensem Ecclesiæ coram Sa-  
„crae Rotæ Tribunalis exorta fuit, donec tan-  
„dem ad novas eadem inter Ecclesiæ Concordie  
„leges anno videlicet 1722, ac novissime anno 1751.  
„deventum est; quam postrem quidem Concordiam Hammelburgi initam Sanctissimus Dominus  
„Noster BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus  
„dignatus est confirmare. Archiepiscopi interea  
„Moguntini, rogatu Placiidi Abbatis Fuldenis  
„in Concordia anni 1662. persistentes, nec item  
„Heribolensi Ecclesiæ quantumvis implorati suam  
„facientes, Abbatiani novis favoribus prosequi-  
„non dubitarunt, atque tum maximè, cum pro  
„obeuendis in Fuldeni Ditione Pontificalibus, Epis-  
„copus in Partibus ab Apostolica Sede indulgere-  
„tur, cui concessioni non tantum minimè fuit re-  
„luctati, verum etiam ut Confœderationis munus in  
„ipsa recipetur Electorali Urbe Moguntina, fece-  
„runt facultatem; cum vero anno 1752. de eri-  
„gendo Episcopatu Fuldeni ageretur, re cum Ec-  
„clesia Metropolitanâ Moguntina haud communica-  
„ta, ac ipsa eret Episcopatus a SSmo Domino  
„Nostro BENEDICTO XIV. Pont. Max. Bulla de-  
„super 5. Octobris 1752. edita perficeretur; tunc  
„vero temporis existens Abbas, & Princeps Ful-  
„denis Episcopatum istum Fuldensem neo-erectum

Plures lites  
super concor-  
dia anni 1662.  
inter Episco-  
pum Heribol-  
ensem &  
Abbatem Ful-  
densem exci-  
tata per alia  
concordiam  
inter eosdem  
initiam anno  
1751. sedata  
sunt.

Vide supra  
pag. 18. Conf.  
II. In hac  
Editione  
Tom. XIX.  
p. 9. & seq.  
Archiepi-  
scop. Mogun-  
tini perficie-  
runt in con-  
cordia anni  
1662.

Vide supra  
pag. 28. Conf.  
IV. In hac  
Editione  
Tom. XIX.  
p. 15. & seq.

exemp-

1757.  
Post erectionem Abbatiae Fulde-  
niss in Episcopatum, lis  
exorta super  
jure Metropoli-  
tico Archiepiscopi  
Moguntini.  
Eius tamen  
favo re Pô-  
tissimis defini-  
tae.

exemptum, nullique Metropolitano, sed solum  
S. R. Sedi subjectum crederet; ea super re ex  
parte Metropolitanam Ecclesiae Moguntinae con-  
sequuntur fuit, & in litis hujus decurso, supra-  
dicta Concordia de anno 1662. Moguntinam inter-  
& Fuldensem Ecclesias inita, ab Abbatie  
Fuldense asserta fuit insubsistens. Demum vero  
decima Augusti anno 1755. a Sanctissimo Do-  
mino BENEDICTO XIV. Pontifice Maximo re-  
mature discussa, ac adhibitis in consilium omnibus  
Sacras Rotae Auditoribus, habitoque illorum  
in scriptis unanimi suffragio, definitum fuit, con-  
statre de jure Metropolitico Moguntino in totum  
Territorium Fuldense, edito subinde desuper  
Apostolico Brevi dato 15. Septembris 1756. te-  
noris sequentis.

## BENEDICTUS PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Littera Apo-  
stolica in  
forma Brevis  
desuper ex-  
pedita.

§. II. **S**aluberrimum Apostolicae providentia, benignitatisque institutum a Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus sapientissime intitum, servatumque, ut iiii quidem, quibus potuissent titulus & honoribus insignes Ecclesiastis magis magisque ad Numinis Divini cultum, & Christianum utilitatem adangerent, sed pari nibilominus circumspictione, ac diligentia Hierarchicum Ecclesia Catholica ordinem, in hicie ipsis honorum largitionibus inviolatum, atque intactum, Decretis, ac rescriptis suis custodirent: a suscepit Pontificatus Nostri exordio ita, quod Nobis integrum fuit, tenere, & sequi studiimus, ut nulla hac in re Apostolica nostra vigilantie partes ubique Gentium desiderari possent fuerimus. Quamobrem cum insignis, & antiquissima Abbatia Fuldensis, que intra fines Provinciae Moguntina sita esse non ambiguit, multis nominibus clara, maximè vero propter privilegia, quibus per Romanos Pontifices, atque ipsos etiam saeculares Principes locupletata fuit, in Germania plurimi fierent, magnoque in honore habebat, non immixtus Nos, ad majus Catholicæ Fidei praesidiu, atque ornamentum, Abbatiam ipsam in Episcopatum erexit, ejusque Abbatem pro tempore existente in Episcopum, & Abbatem insimul constituius; quemadmodum ex aliis nostris sub plumbis expeditis literis, quarum tenorem, quatenus opus sit, hisce presentibus pro expresso, & inserto haber volumus, uberioris continetur. Cum vero post Episcopatus hujusmodi erectionem, atque Episcopii ordinationem, quedam eruperit controversia super autoritate, que Archiepiscopo Moguntino in dicta nova Episcopali Diocesi Metropolitico Jure competere deberet; Ut ea quam ceteris, & abque illo judiciali strepiu absolvetur, controveriam ipsam ad Nos avocavimus, reque tota per Nos ipsos diligenter considerata, itemque in Consilium adscitis peritissimis in Jure Canonico Viris nostris Romana Rota Auditoribus, quemadmodum eximia Moguntina Sedis Dignitas non inter Germanos tantum, sed universo Christiano Orbis perspecta exposcere videbatur, latet admodum sumus, quod eorum suffragia tum retenus, tum etiam scripta exposita, & in manibus nostris relicta, cum concepta jam prius in mente nostra sententia prorsus convenirent. Quapropter uniformi predictorum Auditorum sensu inherentes, ead ipsa die, videlicet decima Augusti superioris anni 1755, decrevimus, ac declaravimus, predictas nostras literas super electione Abbatiae Fuldensis in Episcopatum, atque alias praecedentes iidem nostras super approbatione, & confirmatione cuiusdam concordia inter Episcopum Heribolensem, & Abbatem Fuldensem peracte, ita semper accipendas esse, interpretandas, atque intelligendas, ut per eas nihil omnino detruit, aut immunatum censeatur de autoritate, & Jure Metropolitico, quod in tota Provincia, atque adeo etiam in novo

Episcopatu Fuldense, & universa ejus Diocesi, Moguntino Archiepiscopo competit, juxta prescriptum SS. Canonum, & S. Concilii Tridentini; salva tamen ex alia parte, atque illa manente exemptione passiva, atque immediata subjectione hinc S. Sedi Apostolicae, quibus hactenus juxta formam suorum Priviliegiorum gavili sunt, & gaudere debent Monachi omnes, & Monasterium Fuldense, cum sua Abbatiali Ecclesia, que nuper in Cathedram erecta est, aliique Ecclesiis, que secundum praesentem statum, eidem Monasterio pleno Jure incorporata, & subiecte reperiantur: Ita tamen ut Populus, & Clerus secularis ab ejusmodi Ecclesiis quomodolibet dependens, propter hoc a Jure Metropolitico predicto nequaquam exemptus censeatur. Quo itaque firmius Decretum hoc nostrum subficiat, & servetur exaudiens, Decretum ipsum tenore presentium Apostolicae autoritate confirmamus, atque inviolabili Apostolicae firmitatis robore communitus. Decernentes idem Decretum, & praesentes nostras literas semper firmas, validas, & efficaces exhibere, & fore, suoq[ue] plenariis, & integros effelius sortiri, & obtinere, & illis, ad quos spectat, & pro tempore quadcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari debere; sive & non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palauii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, & eorumdem Cardinalium Congregationes, necnon Apostolicae Sedis Nuntios, & quoq[ue] alios quacumque praeminentia, & potestate fungentes & facturos, judicari, & defniri debere: ac irritum, & inane, quidquid fecis super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter conigerit attenuari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universitatibus, Provincialibus, vel Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Confraternitionibus, & Ordinationibus, & quibuscumque aliis in contrarium premisorum etiam a Nobis quomodolibet concepsis, confirmatis, & innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo Personae in dignitate Ecclesiastica constitute munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, que ipsi presentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Roma apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pictoris die 15. Septembris 1756. Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

Cajetanus Amatus.

§. 12. Nos itaque Joannes Fridericus Carolus Archiepiscopus Moguntinus, & Princeps Elector &c., & Nos Adalbertus electus Episcopus, Abbas, & Princeps Fuldensis &c. ad reducendam inter utramque Ecclesiam Moguntinam, & Fuldensem pristinam concordiam, ac ad illam inviolabilitatem, & in perpetuum stabilendam, & ad removendam omnia, qua futuri perpetuis temporibus Catholicorum, & Vicinorum Principum aliciatis, & quietem turbare possent, re mature diuine deliberata, habitoque cum Capitu's Ecclesiarum nostrarum tractatu, deque corum consilio, & consensu, in sequentes reductae pacis, & concordia leges convenimus-- Nos Adalbertus electus Episcopus Abbas, & Princeps Fuldensis, praehabita iam tempore Sedis nuper vacantis in Capitulo nostro deliberatione, ac re etiam deinceps uberioris persensa, cognoscentes, non aliam futuram cum Ecclesia Moguntina pacis, ac stabiliendi novi Episcopatus Fuldensis basim esse posse, quam supradictam Concordiam anno 1662. inter utramque Ecclesiam feliciter initam, & usque ad recentes annos magno Fuldensis Abbatiae bono observatam; Nos ab Eminentissimo & Celerrimo Princeps Archiepiscopo Electore Moguntino Domino nostro cum primis Venerando, ejusque Capitulo Metropolitano, ejusque Concordiae continuationem decenter petivimus, & petimus

1757.

per

Primum re-  
centioris  
transacti-  
onis caput, quo  
Episcopu-  
s Fuldensis ple-  
narii obser-  
vantiam con-  
cordia anno  
1662. pro-  
mittit.

per præsentes, eamdemque futuris perpetuis temporibus illibatam servare, tam pro Nobis, quam nostris in Ecclesia Fuldenfi Successoribus, promittimus, Nofque, Successoresque nostros ad litteras in eadem concordia præscriptas, nihil immutato illorum tenore, nisi quoad Episcopi nomen, obligamus.

Mutatis ta-  
men iis, que  
sunt de exer-  
cito Pontifi-  
cialium.

Jus quoque  
Metropoliti-  
cum Archie-  
piscopi Mo-  
guntini in  
universam  
Diocesum  
fiam agnoscit,  
& Brevi  
Apostolico  
obedientiam  
se præstitu-  
rum pollici-  
tur.

Prostetor se-  
curaturum ne  
Appellacio-  
nes ad Metro-  
politanum a  
quopiam im-  
pediantur.

Archiepisco-  
pus Mo-  
guntinus quoque  
suam fidem  
obligat pro  
oblevanda  
Concordia  
anno 1662.

per præsentes, eamdemque futuris perpetuis temporibus illibatam servare, tam pro Nobis, quam nostris in Ecclesia Fuldenfi Successoribus, promittimus, Nofque, Successoresque nostros ad litteras in eadem concordia præscriptas, nihil immutato illorum tenore, nisi quoad Episcopi nomen, obligamus.

§. 13. Cum tempore concordiae anni 1662. in Fuldenfi nostro Territorio non extaret Episcopus cum exercito Pontificalium, sed Ordinandi, juxta Concordiae leges, mittendi essent, five ad Metropolitanum, five ad Episcopum Heribolensem, hac & reliqua ibi de Pontificalium exercitio dicta, ipsa novi Episcopatus Fuldenfi erectione mutata intelligentur.

§. 14. Cum ab omni retro tempore Praedececessores nostri Abbates, & Capitulum Fuldense, Archiepiscopos Moguntinos, usque ad numerarum litis exordium, agnoverint totius Territorii Fuldensis Metropolitanos, Nos quoque Dilectionem suam modernum Eminentissimum Dominum Archiepiscopum & Electorem Moguntinum; ejusque in perpetuum Successores, tanquam Metropolitanos nostros, & universae Diocesis nostra Fuldensis cis & trans amnum Fuldam, agnoscimus, ac pro Nobis, & Successoribus nostris promittimus Nos supremæ Apostolicae Definitioni prædictæ, & Brevi Apostolico desuper edito die 15. Septembris anno 1756. supra de verbo ad verbum inferto, plenariam debitam partitionem præstare velle, sicutque totum, & integrum Episcopatum nostrum Fuldensem (salvi tamen, atque illæsa manente exemptione passivâ, atque immediata subjectione S. Sedi Apostolicae quoad Personas in eodem Brevi expressas) Metropolitanæ Moguntinae Ecclesiæ subiectum, & suffraganeum esse, & manere debere profitemur.

§. 15. Et cum contra bonam fidem, & amicitia leges ageretur, si nostri Fuldenses subditi a quopiam quomodolibet absterrentur ab appellationibus ad Metropolitanum Moguntinum Judicium, juxta ordinem ab Ecclesia Catholica præscriptum, interponendis, caverre studebimus omnino, ne ab Ecclesiasticis, vel Sacerdibus nostris Ditionis Magistratis, vel Particularibus etiam Personis, impediatur iidem Fuldenses nostri subditi ab appellationibus in omnibus Causis ad Vicariatum Generalem Episcopatus nostri devolutis, ad Metropolitanum Moguntinum interponendis, vel prosequendis; quem in finem etiam hanc nostram concordiam, Apostolica confirmatione fecuta, Vicariatu nostro Generali, Parochisque notam faciemus. Cumque sic omnis discordia fomes subflatus sit, Nobis promittimus, fore, ut sua moderni Eminentissimi Domini Archiepiscopi Elektoris Moguntini Dilectio Abbatiam nostram in Episcopatum legitimè erectam, Nofque, & Successores nostros legitimos Episcopos Fuldenses tam cis, quam trans amnum Fuldam agnoscat, & ut in S. R. Imperio, ejusque Comitiis, & Tribunalibus, ac ubicumque opus fuerit, Nobis & Successoribus nostris prædicatum, ac titulus Episcopi tribuatur, officia sua impendant.

§. 16. Et Nos Joannes Fridericus Carolus Archiepiscopus, S. R. I. per Germaniam Archicancellarius, & Princeps Elector &c. Praecestorum nostrorum, præsertim Joannis Philippi Archiepiscopi Electoris Moguntini exempla fecuti, de consilio, & consensu Metropolitani nostri Capituli, ob salutares fines supra expresos Concordiam fæpedictam de anno 1662. superius insertam hisce renovatam volumus, ac renovamus, declarantes pro Nobis & Successoribus nostris, eamdem Concordiam perpetuis temporibus valere, & quæ ibi-

dem in favorem Abbatie Fuldenfi disposita sunt, observari inviolabiliter debere. Nofque, & Successores nostros predictos ad Epistolam cuiuscumque neo eligendi Fuldenfi Principis, ea, qua in Concordia præscribitur, formulâ responsuros esse, ac promissam in iis opem, assentiam, ac manutentionem præsturos.

§. 17. Sicuti nihil novi unquam petere, vel Fuldenfi Abbatie Juribus, & privilegiis quidquam detrahere voluiimus, ita non tantum exemptionem passivam Fuldensem in supradicto Apostolico Brevi præservatam & fralitam sponte agnoscimus, sed etiam ne contra illam quidquam a quocumque tentetur, invigilabimus.

§. 18. Similiter Antecessorum nostrorum Archiepiscoporum benevolia erga Fuldensem Abbatiam vestigia, & faventem Episcopatus Fuldenfi electionem intentionem fecuti, eamdem Episcopatum Fuldensem electionem a SSmo Domino Nostro BENEDICTO XIV. Pontifice Maximo factam, hisce probamus & laudamus, atque Electionem suam modernum Reverendissimum Dominum Abbottem, & Principe Fuldensem, legitimum totius Diocesis Fuldensis cis & trans amnum Fuldam Episcopum, nostræ tamen Ecclesiæ Metropolitanæ Moguntinae suffraganeum agnoscimus, & ut ubique in Sacro Romano Imperio agnoscatur, officiis nostris non deerimus.

§. 19. Hanc nostram Concordiam Nos Joannes Fridericus Carolus Archiepiscopus Moguntinus, & Princeps Elector, & Nos Adalbertus electus Episcopus, Abbas, & Princeps Fuldensis, ut eo magis roboretur, & perpetuis temporibus inviolata perduret, Sanctæ Sedi Apostolicae, prout Praefiles, & Principes eidem verè devotos decet, submittimus, ejusque Apostolican Confirmationem per nostros ibidem Ministros, ante confirmationem modernæ novæ Electionis Fuldensis, unâ rogabimus. Ante obtentam vero eamdem Apostolicam confirmationem hujus Concordiae, & omnium in illa contentorum, eadem hæc Concordia in nullius partis præjudicium poterit allegari, sed utriusque Ecclesiæ Jura, salva, & integra manere debent.

§. 20. Atque hæc nostra Concordia maturâ deliberatione feliciter inita, sicutque a S. Sede confirmata, perpetua basis mutua inter Ecclesiam Metropolitanam Moguntinam, & Cathedram, & Abbatiale Fuldensem amicitia existet, neque contra illam exceptiones ullæ cùjuscumque nominis, aut Pontificum, Caesareumque Constitutiones, Bullæ, Literæ, vel Privilegia, nomine tenus vero Bulla SSmo Domini Nostri BENEDICTI XIV. Pontificis Maximi super confirmatione Concordiae Hammelburgensis inter Heribolensem & Fuldensem Ecclesiæ initæ, vel subfecuta Episcopatus Fuldenfi erexit, & desuper edita Apostolica Constitutio, aut aliud quodcumque poterit allegari; prout altè fatus Sanctissimus Dominus Noter in Brevi Apostolico supra inserto jam dixerit declaravit, hæc omnia Juribus Moguntinis nihil derogare. In cuius rei majorem fidem Nos Joannes Fridericus Carolus Archiepiscopus Moguntinus, & Princeps Elector, & Nos Adalbertus electus Episcopus, Abbas, & Princeps Fuldensis has Concordiae paginas signavimus, & nostris iustissimus communiri figiliis. Moguntiae die duodecima Februarii, Fulda die 18. Februarii anno 1757.

Io. Fridericus Carolus Archiepiscopus, Adalbertus electus Episcopus, Abbas & Princeps Fulda.

(L. S.)

(L. S.)

Admitte  
exemptio-  
nem passivam  
Abbatie Ful-  
denfi in  
Apostolico  
Brevi præter-  
vatam.

Ejusdem cre-  
ctionem in  
Episcopatum.  
& Abbates in  
Episcopes fe-  
agnoscere  
prostetut.

Caverur, ut  
ab utraque  
parte Apo-  
stolicum Be-  
neplacitum  
impetreretur  
pro hujus  
Concordiae  
confirmatio-  
ne.

Utraque pars  
hanc Con-  
cordiam san-  
ctissime se  
observaru-  
ram promit-  
ti & recipit.

Nos similiter Joannes Franciscus Antonius ab Hohneck Decanus, totumque Capitulum Metropolitani Moguntini, necon Nos Carolus de Fechenbach, Decanus, & totum Capitulum Ecclesie Cathedralis, & Abbatialis Fuldensis, pro Nobis, nostrisque utrinque Successoribus, profitemur Concordiam hanc supra scriptam, cum facta, confilio, & consensu nostro in omnibus, & per omnia suffit initam, prout eidem omni meliori modo consentimus, eademque omnia probamus & laudamus. In quorum fidem Eminen- tissimi & Reverendissimorum DD. Nostrorum Elec- toris, & Principum filialis, etiam confuta Capitulorum nostrorum Metropolitani Moguntini, & Cathedralis, ac Abbatialis Fulden. sigilli his literis apposimus. Moguntiae 15. Febr. Fuldae 18. Febr. anno 1757.

(L. S.)

(L. S.)

Quod copia precedens vero suo originali, prehabita diligent & accurata collatione in omnibus de verbo ad verbum consona & conformis sit, vigore appositi Sigilli Electoralis Moguntini corroboratur. Moguntiae die 16. Februarii 1757.

In fidem

(L. S.)

P. Matthaeus Maria  
Ragin. Electoralis Moguntini  
Secretarius & Expedito.

Pontifex ante confirmationem Concordie, ejus cognitionem remisi Congregationi particulari super rebus Confessoriali- bus.

**§. 21.** Joannes Fridericus Carolus Archiepiscopus, & Elector, ac Adalbertus Episcopus, & Abbas prefati, Concordiam hujusmodi pro debito erga Sedem Apostolicam obsequio, & reverentia, in omnibus ejus iudicio, & authoritate subjectam esse voluerunt; quapropter Nobis supplicari fecerunt, ut Concordiam praedictam Apostolica autoritate approbare, & confirmare de benignitate Apostolica dignaremur; hujusmodi autem precibus Nos inclinati, hujusmodi negotium confirmationis ad Congregationem Particularem super rebus Confessorialibus prepositam expendendam remittere dignati fumus, ac eadem Congregatio prefatae Concordiae Instrumento diligenter inspecto, omnibusque in ea contentis accurate persensis, sub die 22. Mensis Martii proxime prateriti, censuit Concordiam praedictam esse confirmandam, adjectis tamen nonnullis clausulis, quibus Nobis placuit, alias quoque clausulas etiam adjungere, prout ex Decreto ejusdem Congregationis latius appetet: cuius quidem dictae Congregationis Decreti tenor est, qui sequitur:

Moguntin. &amp; Fulden. Confirmationis Conecordie.

**§. 22.** Cum inter Eminenissimum, & Reverendissimum Dominum Joannem Fridericum Archiepiscopum, & Electorem, ac RR. Decanum, & Capitulum Metropolitanæ Ecclesie Moguntinae ex una, & R. P. Adalbertum electum Episcopum, & Abbatem, ac RR. Decanum, & Capitulum Ecclesie Episcopalis, & Abbatialis Fulden. ex altera partibus, ad removendas omnes controversias, & ad omnium dissensionum, ac tumultuum semina penitus tollenda, Concordia inita, & mente Februario proxime praterit propriis subscriptionibus munita fuerit, quam pro debito erga Apostolicam Sedem obsequio, ac reverentia, in omnibus ejus iudicio, & authoritate subjecta esse voluerunt; ideo tam predicti Archie-

piscopus Moguntin., quam Episcopus, & Abbas Fuldenis, Literis ad Sanctissimum Dominum nostrum datis, humiliter supplicarunt, ut eam Apostolica autoritate approbare, & confirmare dignaretur. Hujusmodi autem precibus per Sanctitatem suam ad Congregationem Confessoralem Particularem remissis, eadem Congregatio, Concordia Instrumento diligenter inspecto, omnibusque in ea contentis accurate expensis, censuit, Concordiam esse confirmandam; Ita tamen ut nullum unquam inde praedictum illatum intelligatur alteri Concordiae initæ inter Episcopum Heribolensem, & Abbatem nunc Episcopum Fuldensem, & a Sede Apostolica confirmata per Apostolicas Literas sub plumbō Kal. Octobris 1752. tum etiam erectioni Episcopatus Fulden., ejusque jurisdictioni Ordinariæ, per similes Literas tertio nonas Octobris anno 1752. necon Juri Metropolitico Archiepiscopi Moguntini per alias Literas in forma Brevis die 15. Septembris 1756. expeditas; factaque per me infra scriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua dictæ Congregationis sententiam benigni approbavit, decrevitque, ut omnia in iisdem Apostolicis Literis suis contenta, quatenus opus sit, de novo data, induita, concessa, approbata, & confirmata censeantur. Datum Romæ die 22. Martii 1757.

Loco + Sigilli.

J. Cardinalis Millo.

N. Antonellus Sac. Congregationis  
Confessorialis Secretarius.

Congregatio  
eadem censuit  
Concordiam  
esse confirman-  
dam, nonnullis  
clausulis  
clavatis.

Juxta Con-  
gregationis  
Decretum  
Concordia  
confirmatur  
Apostolica  
auctoritate.

existentibus Archiepiscopo & Electore Moguntin., ac Episcopo & Abbatte Fulden., ac ab aliis, ad quos spectat & pertinet, ac spectare & pertinere poterit in futurum, perpetuo observari, nec illi ullo unquam tempore derogari posse, neque debere.

Decreta cum  
derogatione  
contraria.

**S. 24.** Præsentes quoque Literas Apostolicas semper, & perpetuo validas & efficaces exsistere, & fore, suoq[ue] plenarios, & integrorum effectus fortiri, & obtinere, & sic ab omnibus censeri; & ita per quocumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Caufarum Palati Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanae Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-legatos, dictæque Sedi Nuncios, judicari & definiri debere, & quidquid fecis super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictarum Ecclesiarium Moguntin. & Fulden., etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia corroboratis statutis, & consuetudinibus contraria quibuscumque.

**S. 25.** Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam Nostra absolutionis, approbationis, confirmationis, roboris adjectionis, ac decreti, infringere, vel ei ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attentre praesumperit, indignationem Omnipotens Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Roma apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominice Millesimo septingentesimo quinquagesimo septimo, duodecimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri anno decimo-septimo.

*J. S. Villa,  
Loco + Plumbi.*

## LXXXV.

Missam celebrantes, aut Fidelium Confessiones excipientes, ad Presbyteratus Ordinem non promoti, quibus poenit ex sacrorum Canonum, & Apostolicarum Constitutionum praescripto subjiciantur; quæ praxis haec tenus in Judicis adversus hujusmodi reos fit servata, & quomodo ipsopterum fit providendum.

*Epistola Encyclica ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, Lectorum Ordinarios.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabilis Frater, Salutem, &c.*

Pontificum  
Constitutiones de Cele-  
brantibus non  
promotis, eo-  
rumque pec-  
nia.

Addita hu-  
jusmodi fan-  
ctionibus fir-  
mitas contra  
excitatas  
fraudes.

**Q**UAM grave horrendumque scelus admittat, quicumque Sacerdotali Ordine non initiatus, Sacrificium Missæ celebrare præsumit, superfluum censemus multis verbis demonstrare; quum omnibus perspectæ sint rationes, ob quas sacrilegum hujusmodi crimen merito detersandum, atque dirictio poenarum gladio vindicandum censetur. Satis itaque erit Apostolicas Prædecessorum nostrorum Constitutiones hic indicare, quibus severissimæ adversus memorati criminis reos poenæ statuuntur; quæ scilicet a fel. record. Paulo IV., Sixto V., Clemente VIII., & Urbano VIII. Romanis Pontificibus editæ fuerunt; quarum sanctionibus decernitur, ut quicunque Sacerdotali charactere destitutus, compertus fuerit Missam celebri, Foro seculari puniendus tradatur.

**S. 2.** Has omnes Constitutiones Nos ipsi memoravimus, & confirmavimus in nostra, quam usque ab anno Incarnationis Dominice

MDCCXLIV. Pontif. Nostri IV., sub Dat. XII. Kal. Majas edidimus, cuius initium est: *Sacerdos in eternum*, quæque impresa est in Bullario Nostro Tom. I. num. 97., ubi præterea plures tolluntur exceptions, & subterfugia, quæ per Defenseores reorū afferri solebant, ut eos eximerent a decreta poenæ traditionis brachio seculari; quantumvis legitimis probationibus plane constaret, eosdem, Sacerdotali ordinatione nunquam suscepit, Missam celebrasse.

**S. 3.** Quamvis autem Ecclesia præfatos celebrantes non promotos, justitia sic exigente, seculari Foro tradendis decreverit; quem tamē eadem pia mater sit, & ut omnibus constat, lenitatis & misericordia viscera gerat, nec unquam omisit, nec adhuc desinit mansuetudinis sua argumenta præbere, tum in statuenda forma degradationis verbalis, quæ reali degradationem præcedit; tum in ipsa reali degradatione exquenda; tum denique in providis legibus, & cautelis editis atque suscepit, ut nequissimos homines arceret a sacrilego ausu se immiscendi Sacrorum Mysteriorum celebrationi, absque Sacerdotali ordine & charactere; viam illis quodammodo præoccupando, qua in præfatam poenam traditionis brachio seculari prouere possint.

**S. 4.** In Pontificali Romano habet formam degradationis verbalis, per quam videlicet profertur sententia decernens realem degradationem, non minus in eos, qui Sacris Ordinibus, excepto Presbyteratu, insigniti sunt, quam & in ceteros Clericali tantum Tonfurato, aut Minoribus Ordinibus initiaro. Hoc solum inter uerisque intercedit discriben, quod in Clericos Minorum Ordinum, aut simpliciter Tonfuratos, verbalis degradatio peragitur, seu quod idem est, degradatio realis decernitur, a solo Episcopo, absque aliorum quorumcumque intervenientia: in alios vero Majoribus Ordinibus infra Sacerdotium insignitos, non licet Episcopo ad verbalem degradationem procedere, nisi assistentibus, & suffragium simili ferentibus aliis quibusdam personis, quarum præsentiam, sententiāque Canonicae Leges expoſunt.

**S. 5.** Celebris est Decretalis Prædecessoris Nostri Bonifaci Pape VIII. in Cap. degradatio, de Panis, in sexto, ubi hæc leguntur: *Super quib[us] tibi taliter respondemus, quod verbalis degradatio, seu depositio ab Ordinibus, vel Gradibus Ecclesiasticis, est a proprio Episcopo, sibi assistente in degradatione Clericorum in sacris constitutorum Ordinibus certo Episcoporum numero definito Canonibus, facienda; quamquam proprii Episcopi sententia, sine aliorum Episcoporum præsencia, sufficiat in degradatione eorum, qui Minores dumtaxat Ordines receperunt.*

**S. 6.** Notis sunt etiam sanctiones Canonum, quos indicat Glossa Canonica, in cit. Cap. Degradatio, in verb. Canonibus -- de panis, in sexto, quicque definitum numerum Episcoporum, qui assistere debent, ubi pronuncianda fit degradatio verbalis adversus Clericum in Majoribus Ordinibus constitutum.

**S. 7.** Nec quemquam latere potest quod in Sacro Concilio Tridentino statutum fuit Seß. XIII. cap. 4. de Reform. ubi, quum animadverbum suffit, non ita facile in occurrentibus degradacionibus casibus reperi si posse numerum Episcoporum a Canonibus requisitum, facultas fit Episcopis procedendi etiam absque illis; adhibitis tamen, sibi que ea in re assistentibus totidem Abbatibus, in Civitate, aut Dioceſi residentibus, atque ufo Mitra & Baculi ex Apostolica Sedi indulto decoratis, vel, si hi non adſint, aliis personis in Ecclesiastica Dignitate constitutis, matura etate, & sacrarum legum scientia spectabilibus.

**S. 8.** Quoniam vero juxta veterem disciplinam, verbales degradaciones peragebantur in Synodis

Poenam in  
perditos ho-  
mines sic ir-  
rogat Ecclesia  
ut Jenis, prie-  
que Matris  
spiritum ser-  
vet.

Id emittit  
primo expro-  
scripta verba-  
lis degra-  
dationis forma.

Indicantur de  
ea canonicae  
sanctiones.

Subsidaria  
degradacionis  
forma a Con-  
cilio Tridenti-  
no permitta.

Affessores in  
verbali de-  
gradacione  
quo jure fru-  
antur.

Provin-